Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

est divinitas in carne humana. Syndo munda est conversatio sancta. Ampulla coopta est antequam ad altare feratur. oblata ad aram discooperitur. quia Christus ante passionem suam in carne latuit. in ara crucis infirmitas carnis eius quasi nuda patuit. post mortem deitas eius manifesta claruit. Deinde ampulla partim cooperitur. partim denudatur et salutatur. quia nudum latus Christi a Thoma palpatur. et maiestas latens adoratur. Deinde ampulla tota cooperitur. ne amplius videatur. et tamen cooperta salutatur. quia Christus in gloria assumitur. et tamen non visus ab omni populo veneratur. **De cena et corpore domini.**

Hec dies etiam cena domini dicitur. quia hodie dominus cum suis cenasse traditur. quando legalem agnum ipse verus agnus comedit. et sic finem legi imposuit. corpus suum tradidit. et sic novam legem inchoavit. nos quoque per hoc sibi incorporavit. Hoc autem ideo hodie fecisse creditur. quia hodie agnus a filiis Israhel in Egypto ad vesperum immolari legitur. **De mandato.**

Hodie quoque pedes discipulorum lavit. designans quod nos quasi ultima membra sua sumus. a sordibus peccatorum abluit. Quod autem nos exemplo eius hodie mandatum facimus. nos membra ipsius esse et in caritate debere vivere ad memoriam reducimus. **De gloria in excelsis.**

Hodie gloria in excelsis ad chrisma cantatur. quia angelicus chorus de reconciliatione penitentium. et unctione credentium letatur. **Quare pax non datur.**

Tercium agnus dei non dona nobis pacem. sed miserere nobis cantatur. et pax non datur. quia Iudas osculo pacis illum tradidit. qui vera pax nostra fuit. Veste sollempnes idem dalmatica et subtile hodie portantur. quia penitentes ad amisse sanctitatis vestes reparantur. et chrisma atque oleum baptizandis quasi celestes vestes preparantur. **De altari.**

Hodie altare denudatur. et in die tercia velatur. Altare est Christus. vestimenta sunt apostoli. et cetera. quia illi hodie relicto Christo fugerunt. quia altare nudum relinquerunt. tribus diebus sepulturam domini **De luminibus.**

celebramus. Tres autem dies et noctes lxx. duabus horis computamus. et ideo totidem lumina extinguimus. quia lumen verum his diebus extinctum